

XXXVI. *Gradus adverbiorum: positivus, comparativus, superlativus.*

a) ¶ Si vales, bene est, ego valeo. ¶ Inopi beneficium bis dat qui dat celeriter. ¶ Peccatum extenuat qui celeriter corrigit. ¶ Nihil lacrima citius arescit. ¶ Serius aut citius sedem properamus ad unam. ¶ Malus animus in secreto peius cogitat. ¶ Furor fit laesa saepius patientia. ¶ Semper consilium tunc deest, cum opus est maxime. ¶ Avidum esse oportet neminem, minime senem. ¶ Difficile est regere navem, difficilius civitatem, difficillime cupiditates. ¶ Nulli facilius quam malo invenies parem. ¶ Male olet qui olet; bene olet qui nihil olet.

b) ¶ Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Postume, semper.
Postume, non bene olet, qui bene semper olet.

hoc ... quod – to ... że

Postūm|us, -i m. – Postumus (rzymski przydomek)

c) ¶ Regi cuidam Aegyptiorum simias, quas Alexandriae in hortis regiis alebat ille animi causa, aliquando placuerat docere saltationes; eaeque bestiae (facillime enim humanas simulant actiones) hanc artem celerius opinione didicerunt. Saltabant mirifice, ipsae vestibus purpureis pulchre ornatae nec non personatae; diuque probatum est spectaculum et a rege et ab ipsius familiaribus aulicisque. Admirationi etiam fuit spectantibus et ars et peritia magistri illius, qui simias, rudia animalia, in humanum tam cito redigere potuerat habitum atque cultum.

Quodam die spectatorum nescio cui nuces (quas secum gerebat) in mentem venit proicere in medium, ioci videlicet causa. Simias hoc videntes confestim natura superavit confestimque omnis res saltatoria coniecta est in oblivionem; factae subito ex saltatricibus simiae (id quod erant scilicet) de fructibus humi iacentibus invicem pugnare coepere ferociter et atrociter. Quod facientes et personas contrivere et laceravere vestes. Nam vetus est proverbium: „simia semper erit simia, etsi aurea gestabit insignia”.

Aegypti|us, -i m. – Egipcjanin

Alexandri|a, -ae f. – Aleksandria, stolica Ptolemeuszów

anīmi causa – dla przyjemności

contrivēre → contēro

didicērunt → disco

humi (loc. od humus) – na ziemi

nec non – a także

nescio quis – ktoś, jakiś, nie wiadomo kto

persōn|a, -ae – tu: maska (aktorska)

personātus, a, um – ubrany w maskę